ORATIO
DE
SAXONUM,
gentis inter Germanicas antiquiſſimæ, Origine, ſedibus priſcis, rebus domi ac foris præclarè geſtis, coloniis ductis, virtutumq; omnis generis laudibus eximiis;

Permiſſu

MAGNIFICI DOMINI RECTORIS,
ceterorumq; D. D. Profeſſorum,

in celebri

Illuſtrium GRONINGÆ & OMLANDIÆ
Ordinum Academia,

frequentiſſimo auditorio, recitata

ab

ENNONE ARNOLDO à WEYHE,
Nobili Friſio Orientali:

Ao. cIↃ IↃCXXXV, *d.* XXIV. *Junii.*

Ad perorantem.

Dum cives laudas, patria dum facta recenſes;
Et bonus es civis, nec malus hiſtoricus.

Clio.

GRONINGÆ,

Ex Officinâ IOHANNIS SAS, Ordd.
& Academiæ Typographi An. M DC XXXV.

47

Nobiliſſimo, Graviſſimo, rerumq; gerendarum dexteritate Spectatiſſimo viro,

Dn. BERTRAMO à WEYHE,
ex Botersheimb, arcis ac præfecturæ Wittmundenſis, nomine Illuſtriſſ. Comitis Friſiæ Orientalis, Satrapæ digniſſimo, parenti ſuo æternùm venerando:

ITEMQUE

Generis nobilitate Splendidiſſimo, Magnificentiſſimo, ac politicarum rerum uſu eminentiſſimo viro,

Dn. CAIO ab ALEFELDT,
Equiti aurato, Reg. Maj. Danorum Conſiliario, & præfecto Flensburgenſi maximè ſtrenuo, Hæreditario in Neyenhuſs, Saxtorff & Meelbecke, conſanguineo ſuo perpetuâ obſervantia colendo;

Hoc exercitium Academicum, tanquam primitias ſtudiorum ſuorum, honoris & amoris ergò offert, ac dedicat.

E. A. à WEYHE.

MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

Conſultiſſimi, experientiſſimi, doctiſſimi, clariſſimiq; D.D. Profeſſores; Nobiliſſimi, Ampliſſimi, præſtantiſſimi, ac reverendi omnium ordinum viri; tuq́, lectiſſima juvenum ſtudioſorum corona, commilitones mihi dilectiſſimi, auditores humaniſſimi:

NOn minus verè quàm eleganter poëta Sulmonenſis de affectu ſeu amore cujusque erga patriam ſuam cecinit:

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Et ne quis hoc interpretetur de vulgo hominum, neq; ſapientibus hunc affectum cum illis communem eſſe putet, idem de Ulyſſe Græcorum prudentiſſimo alibi addit:

Non dubia eſt Ithaci ſapientia; ſed tamen optat
Fumum de patriis poſſe videre focis.

Quod ſi ſapiens ille vir, *qui mores hominum multorum vidit & urbes* ut de eo teſtatum reliquit Homerus, & ex illo Horatius, amabili huic affectui ſuccubuit; quanto libentius alii, egoq; imprimis, qui ætate propemodum puer, experientiâ nullus ſum, & proinde minimè cum illo comparandus, blando patriæ amori me ſubmittere debeo, minusque repugnare, ſed po-

tius ei concedere, ut & favore eandem proſequar, & de ea grata dicam; atque hac ratione pietatem meam ac amorem erga illam teſtatum faciam, *cum hæc omnes omnium charitates*, teſte M. Tullio, *complectatur*, illaque nihil cuiquam ſecundum Deum prius, nihil antiquius eſſe debeat.

Patriam autem intelligo non tam eam regionem, in qua quis natus vel educatus eſt; ſed multo magis, in qua pater, unde ea καθ' ἐξοχὴν, nomen habet, ſive parentes nati, vel educati ſunt. Quamvis enim mihi naſcendi locum Deus & natura tribuerunt angulum Saxoniæ Friſiam Orientalem; Uterque tamen parens ortum ſuum debet Saxoniæ veteri atque indubitatæ, nunc inferiori dictæ, cui etiam rectè annumeratur Friſia Orientalis, quæ hodieque circulo Weſtphalico adſcribitur; cum alter ex Cauchis ſit, quos veteres ab Amaſi ad Albim extenderunt dividentes eos in minores & majores; illorum ſedes prope Bremam; horum juxta Luneburgam collocantes; quosque cum veteribus Saxonibus in eandem gentem coaluiſſe, & in nomen eorum commigraſſe non eſt dubium: alter vero ex Cimbris, qui habitarunt Cimbricam Cherſoneſum (Jutiam nunc dictam) ut Tacitus oſtendit, vel etiam Dithmarſiam atque Holſatiam, ubi Plinius ſtatuit Cimbros mediterraneos; vel certè ex Teutonis, qui hæc loca olim incoluerunt, & poſtea Saxonum nomen aſſumſerunt; niſi potius hos omnes ipſiſſimos Saxones veteres dicere malimus, ſicuti Ptolemæus his in locis eos collocat.

Qua-

Quapropter cum alia ratione huic patriæ Saxoniæ gratiam referre, quod mihi parentes dederit, imo quod me natum exceperit, non poſſim, ſaltem pium meum erga eam affectum, ſicuti dixi, teſtabor, ut quæcunque in illius laudes dicere valeo, nunc Academico hoc exercitio proferam: ad quod faciendum cum me ipſa natura exſtimulare meritò debet, tum etiam ratio hortari videtur. *Nam pius eſt*, dicente poëta, *patriæ facta referre, labor.* Et licet omnes illius laudes enumerare non queam, ſaltem quædam, quæ eo pertinebunt, recenſere ac prædicare conabor. In magnis enim & voluiſſe ſat eſt. Et, ſi deſint maximè vires, tamen voluntas erit laudanda. Quare ut me de patria & pro eadem, quàm potero, breviſſimè dicentē aura veſtræ benevolentiæ, auditores humaniſſimi, ſublevetis, vos quam humaniſſime etiam atque etiam rogo & obteſtor.

Dicam autem de laudibus Saxoniæ inferioris & incolarum illius, qui ſunt genuini Saxones, tanquam progenitorum non ſolum majorum meorum, ſed & omnium noſtrûm quotquot in Friſia Transamaſana ſive Ciſamaſana, media hac atque occidentali, & locis ulterioribus verſus occaſum ſolis usque in Galliam degunt, ex ſententia magni illius J. Lipſii, uti poſtea pluribus probabitur.

Et ne quis mihi objiciat, quod quondam Herculem & in eo virtutem laudanti dictum fuit; *Et quis illum vel illam vituperat?* is velim ſciat juſtisſimam mihi hujus encomii Saxonum cauſam eſſe, quum non

49

omnino deſint, qui, quaſi nigrum loliginis ſuccum bibiſſent, invidia moti, ſive errore lapſi, certè officio boni viri minimè functi, iniquiores ſe erga nationem hanc declararunt, ſugillantes eam tanquam minus civilem; ſive detrahentes ei hoc prætextu, quod nomen recentius, anguſtum, atq; obſcurum; quod mihi, quia veritati hiſtoriæ de Saxonibus officit, omni vituperio gravius eſſe videtur, ideoque minimè ferendum. Accidit enim fere hîc illis malevolis, quod quidam in alia re, ſcil. in controverſia inter Flandros & Hollandos ob navigationum antiquitatem, de hiſtoricis dicit: *Haud dubie aliud agenti (*Heutero nempe hiſtorico*) hæc tam falſa & inepta excidêre; aut partium ſtudio excæcatus cum Hollandiæ ignominia, Flandrorum gloriam voluit promovere. Quod vitium longè ab eo exulare debet, qui rerum, quas deſcribendas ſuſcepit, fidem profitetur. Sed vitium ſeculi pleroſq; transverſos agit. Pauci admodum ad hiſtoriam incorruptos animos adtulêre. Aut invidia ſcriptorum deprimuntur, quæ magna & illuſtria fuêre, aut gratia eorum inter magna habentur, quæ annalibus ne quidem inſeri meruêre.* Hæc ille. Nam quicquid ſit de moribus Saxonum politis vel minus: itemque de nomine, ſive illud citius ſive tardius innotuerit, de quo tamen poſtea pluribus agendum, gentem illam inter Germanicas ut antiquiſſimam, atque omni genere virtutum celebratiſſimam demonſtrabo.

Atque ut tandem feliciter portum oratio noſtra egrediatur, ac vela ventis pandat, unde melius inci-

incipiet, quam ab ea natione, cujus Saxones bona pars ſunt, hoc eſt, à Germanis?

Etſi enim, ut boni vini, ita quoque boni viri, ac multo magis bonę nationis origo non curioſè inquirenda; tamen, ut eo clarius pateat, unde & qui ſint Saxones, rem à capite arceſſendam judico. Germanos autem illos cum dixero, prope omnia dixero, quæ ad laudes alicujus nationis pertinere videbuntur. Teſtimonio enim cum veterum tum recentium ſcriptorum, Græcorum, & Romanorum, Italorum, Hiſpanorum, Gallorum, ac neſcio quorum non, conſtat, nationem Germanicam populoſiſſimam, latiſſimeque diffuſam, generoſiſſimam, fidiſſimam, fortiſſimam, prudentiſſimam, juſtiſſimam, candidiſſimam, gravisſimam, conſtantiſſimam, atq; caſtiſſimam, ideoq; laudatiſſimam eſſe; ut nihil nunc dicam de ingenio, doctrinâ, pietate, aliisq; virtutibus, quæ in illa natione poſterioribus ſeculis non parum emicuerunt. Sed pręſtat hîc, dum aliud agimus, de Germanis in univerſum tacere, quod hiſtoricus Romanus de Carthagine ſcripſit, quam pauca dicere. Talis n. eſt natio Germanica, h. e. tam laudabilis, ut nulla magis inter Europeas: quod facile probari poſſet, niſi metuerem ne hæc mea oratiuncula metas ſuas excederet. Hujus autem nationis Saxones cum pars ſint haud poſtrema, etiam laudis ejuſdem participes eſſe, quis dubitare poteſt, niſi qui Germanos eos eſſe negat? At quis unquam de hac re controverſiam illis movit, niſi unus Papa Pius ſecundus, antea dictus Æneas Sylvius? qui in

ſua:

ſua Bohemia, Saxonum Originem, neſcio à quibus Gallis Bojis per fabulam derivat; ut aliàs non ſemel hic ſubleſtæ & dubiæ fidei autor deprehenditur: niſi eum hoc nomine excuſatum velimus, quod non de Saxonibus interioribus, qui ſunt veteres illi, ſed de ſuperioribus, qui nunc ita vocantur, loqui videatur; quamvis neque de hiſce per omnia verum illud eſſe queat, cum illi origine ſint Alemanni, qui poſtea cum Saxonibus illis priſcis in unum populum coaluerunt, & in nomen eorum commigrarunt. Et hoc ſane primùm magnum eſt, eſſe Germanum, ut olim eſſe Romanum. Ideoque accepimus quoſdam populos ambigui ſoli in confinibus Galliæ & Germaniæ dedignatos nomen Gallorum propter inertiam, & ultro ambiviſſe nomen Germanorum, ſicuti teſtatur Tacitus de Nerviis & Treviris. Et Romani tanti fecerunt Germanos, ut de illis devictis duo triumpharint conſules; nunquam autem de Gallis, ut autor eſt Vellejus Paterculus.

Sed addo etiam Saxones Germanorum eſſe antiquiſſimos, hoc eſt, ipſiſſimos, atque, ut ita dicam, germaniſſimos Germanos; quia nulli Germani antiquiores in hiſtoriis memorantur Teutonis & Cimbris: hi autem ſunt qui poſtea Saxones vocati fuerunt; id quod origo eorum, ſitus locorum, quæ tenuere, lingua, mores, habitus ſive ſtatura corporum, aliaque abundè demonſtrant; Nam quod ad originem attinet, conſtat omnes nationes in mundo propagatas eſſe poſt diluvium, à tribus filiis Noæ, in parte Aſiæ, quæ poſtea vocata eſt Armenia major: & quidem Semo, ſive à patre

patre Noa, ſive ſorte, attributam obveniſſe, partem Aſiæ mediam verſus orientem & occidentem; Chamo portionem ejus verſus meridiem; Japheto autem verſus ſeptentrionem & ex parte occidentem: indeque eos & ipſorum poſteros cæpiſſe ſeſe dilatare. Imprimis vero filium Japheti Gomerum ad Septentrionem conſediſſe, ac propagaſſe populos ab ipſo Gomeritas dictas, à Tanai fluvio ad Rhenum usq; & ultra, quos Joſephus, præclaræ fidei hiſtoricus, interpretatur Celtas; mox Galatas ac tandem Gallos Romanis vocatos, qui primum toti nationi nomen hoc vicinorum ſibi, ac notiorum præ Germanis impoſuerunt; cum tamen Gomeritæ illi ſive Celtæ maximam partem eſſent Germani, & Gallorum parentes; etſi nomen Germanorum tardius innotuerit, & ſerius à Romanis uſurpatum fuerit teſte Suida, qui ait: *Celtæ ſive Galli gentis nomen, qui Germani dicuntur, Rheni fluminis accolæ.* Hinc eſt quod qui ex illo populo profecti ſunt in Græciam & per eam in Aſiam, à ſcriptoribus Romanis Juſtino, Floro, aliisq; dicantur Galatę ſeu Gallo-Græci: qui verò in Italiam venerunt, occupatum Romam Galli ſimpliciter dicantur; quamvis certum ſit eos fuiſſe Germanos, ut patet ex appellatione. Galatarum ſeu Gallorum, quæ vox levi mutatione literæ duplicis W, cujus uſum Græci pariter & Romani ignorarunt, pro litera G. Ut Galatæ ſint quaſi Walatę & Galli quaſi Walli, à Germanico **walen** vel **wallen**/ quod Latinis eſt migrare ſive peregrinari. Idem etiam arguunt nomina ducum in his populis. Nam

Brenno, qui dux fuit Galatarum, Germanis ſignificat defenſorem ſive cuſtodem: Et Arioviſtus ac Fridomarus Gallorum duces nomina ſunt pura puta Germanica. Arioviſtus enim ſignificat honoris tenacem; ex quo eſt noſtrum Ehrnveſtus & contractè Erneſtus: Et Fridomarus eſt pacis amans, Germanicum Fredemar ſive Fredeliebf. Taceo nunc, quod mores & habitus ſive ſtatura corporum, quæ in illis deſcribuntur, non niſi Germanis competunt; ut & flavi crines, ac truces oculi; & imprimis, quod ab ultimo oceano, qui Romanis non erat Gallicus, ſed Germanicus, profecti dicuntur.

Sed ut propius hanc rem tangamus. Narrant hiſtoriæ gentilium, inter poſteros Noæ, fuiſſe quendam nomine Tuiſconem, quem non dubium eſt eſſe in S. Scriptura Aſcenem filium Gomeri, nepotem Japheti, & pronepotem Noæ, quod nomen præpoſito Articulo De, Germanis conſueto ſonat De Aſcenes, quod idem eſt cum Tuiſcone, à quo tota gens appellatur Tuiſcones Duitſchen. Quod ideo veriſimilius videtur, quia Moſes Aſcenem inſulas gentium (ſic vocatur in Sacris literis Europa ſive occidens) occupaſſe commemorat. Hujus autem filius traditur à profanis ſcriptoribus Teuto, à quo poſteri denominantur Teutones Teutſchen. Et nomen idoli apud Gallos Teutatis hinc remanſiſſe omnino videtur, quod Lactantius humano cruore placare eos ſolitos fuiſſe tradit. Hi Teutones à veteribus adjunguntur Cimbris, & collocantur in littore ſinus Codani, à Viſtula fluvio ad Albim usque &

ultra

ultra juxta oceanum utrinque à Cherroneſo, quæ à Cimbris, qui eam incoluerunt, Cimbrica appellatur. Horum Teutonum inſigne fuit caput tauri, ut tradunt ſcriptores Romanorum; quod hodie principes Pomerani & Megapolitani in ſuis clypeis retinent. Ex quo facile eſt conjicere de priſcis illorum ſedibus. Et quam latè patuerint Teutones juxtà littus occidentale, manifeſtum eſt ex nomine Urbis Teutoburgi, quam Ptolemæus collocat ad oſtium Viadri fluvii, qui per Tranſiſulaniam ſeſe exonerat in mare auſtrinum & vocatur nunc vulgò nigra aqua.

Cl. Ptolemæus ætate quidem Paterculo, Mela, ac Plinio poſterior, ſed Tacito fere æqualis non his locis Teutones amplius commemorat; ſed pro illis Saxones nominat, quos extendit à Viſtula fluvio juxta ſinum Balticum ſive Codanum intra fluvium Albim usque ad mare Germanicum.

Ex quo evidentiſſimè apparet veterum Teutones, qui toti nationi Germanicę nomen dederunt, absque omni contradictione eſſe illos Saxones, qui ſic tempore Ptolemæi jam dicti ſunt, (ex quo apparet appellationem Saxonum non eſſe recentem) & paulatim complexos Teutones, Cimbros, Cauchos, Suevos, Cattos, Chamavos aliosque populos complures, de quibus ſuo loco agemus.

Sed operæ pretium eſt cognoſcere, quare Teutones nomen ſuum mutarint, & unde illud nomen Saxonum ſit aſſumtum. Si quid ego conjecturâ aſſequi valeo (nam ubi rationes firmæ deſunt conjecturæ

ſupplent locum) putarim potius ipſos Teutones hoc nomen ſibi impoſuiſſe, quam ab aliis accepiſſe. Cum enim illud nomen Teutonum, quod antea unius populi erat, contradiſtinctum nominibus Cimbrorum, Tigurinorum, Ambronum ac aliorum, commune factum eſſet totius nationis, tum illi, qui ſeſe aliis antiquiores & nobiliores putabant, ut ab advenis, & in Germaniam confluentibus populis diſcernerentur, cæperunt appellatione Germanica ſe vocare, **de Saſſen** vel **Saxen** h.e. Saſſones vel Saxones. Pro dialecto enim vicinorum ſemper hoc nomen variavit. Et quamvis non conveniat inter autores de Etymo hujus nominis, cum alii ipſis appellationem Græcam, alii Latinam aſſignent, eosque, ſi diis placet, ex Aſiæ parte Boreali videlicet Scythia advocent, ac à Sacis ſive Saſonibus, ſupra montes Alanos deducant; quidam etiam ex Perſia ſive India Saxonem tanquam patrem gentis & auctorem nominis cum fratribus Brunone & Friſone profectum fabulentur, quos clariſſimus Friſiæ Hiſtoricus Ubbo Emmius egregiè refutavit: aliquid tamen certi hic haberi poſſe exiſtimo, ſi Germanicam vocis originem illis aſſignemus. Licet enim neq; hic omnes unam teneant ſententiam; præcipuè tamen, ut alias minus probabiles omittam, tres ſunt de ea opiniones, ſic ſatis veriſimiles. Quidam enim putant eos ſic dictos à genere teli ſive pugionis, quo Saxones pariter & Friſii illorum, ut ſanguine ita & lingua ac moribus propago, olim uſi ſunt, ac proceres Thuringorum interfecerunt & utrique ſuo idiomate vocabant **een Sass** vel

Sax.

Sax/ideſt, cultrum ſive falcem oblongam. Alii vero deducūt hanc appellationem à voce Germanica, Saſſ/ quæ ſignificat portum ac navale, quaſi dicantur Saſſen / & corruptè Saxen / tanquam homines habitantes ad portus; quia Saxones ferè littoralia atque navalia incoluerunt, & navigationibus jam ab antiquo aſſueti atque dediti fuerunt. Hinc portus navalis & propugnaculum Gandavenſium ad fluvium Scaldim mari imminens vocatur 't Sas van Gendt:

Sed nos omiſſis conjecturis veram illius nominis originem indagemus.

Diximus Teutonos veterum eſſe eos, qui Ptolemęo dicuntur Saxones, & Plinio cum Cimbris cenſentur pars Ingævonum quaſi Ingewoners. Hos autem nobiliſſimos eſſe Germanorum in Hiſtoriis à Romanis celebratos, nemo qui earum gnarus eſt, negare poteſt: & meo judicio non tantum probabilis opinio, ſed certa propemodum conjectura eſt, quod ita appellentur Saſſen/Saten/Saxen/voce, ut fit, progreſſu temporis paulatim à diverſis nonnihil immutata, à ſedibus, (id enim arguit vox Saſſ/ quæ nonnullis dicitur Sate/) quod ſcilicet eſſent αὐτόχθονες indigenæ & incolæ illius regionis ab antiquo, & non peregrini in ea loca veniſſent, niſi in authoribus ſuis primis. Unde etiam id nominis remanſit in una patriæ ipſorum parte ſc. ſylveſtri illa Saxonia quæ dicitur Holſatia id eſt patria Saxonum Sylveſtrium; & Holſati, ad borealem partem Albis ſylvarum ſive nemorum quæ Saxonibus vocantur Holt / incolæ ſeu accolæ quaſi de Holtſaten

 aut

aut Holtſaſſen / ad ſylvas incolentes. Ita etiamnum hodie hic in Friſia, nedum in ipſa Saxonia, dicuntur majores, qui prius hanc regionem inhabitarunt, De Vörſaten / & inquilini in patria hac nati & educati de Landtſaten / & levi mutatione unius literæ Ingeſeten / Erfgeſeten / quorum ibi ſedes ab antiquo, quos Alemanni vocant Eingeſäſſen / Erbgeſäſſen. Hinc etiam populus ultra Rhenum ab ipſis propagatus, nomen vetus retinuit, & dicti ſunt Alſati, quaſi incolæ ad Ellum ſive Illum fluvium de Saten vel Saſſen an den El vel Il commutatione Germanis uſitata inter Elementa *a* & *e*, ſicuti patet in vocibus Adel / Edel / Adeler / Edeler / Adelſas / Edelſas & contracte Elſas / quæ eſt Alſatia. Cauſa appellationis hujus eſt, quam dixi, quod voluerunt ſeſe diſcernere ab aliis tanquam indigenas ab adventitiis, & inquilinos ab emiſſitiis, colonias mittentes, à coloniis ipſis; ideoque ſe vocarunt Saſſones ſive Saxones; alios vero Suevos & Vandalos, à migrando & peregrinando, quod Saxonibus eſt ſweven & wandelen / etiam ſi hi ab illis prodiiſſent. Fatalis enim fuit veteribus illis Germanis peregrinatio propter augmentum. Unde ſeptentrio, per quem intelligitur Germania magna aliis nationibus, ut fatetur Jornandes, dictus fuit vagina gentium, quia ut gladius è vagina, ita hinc gentes educuntur. Germani enim, dum nimium creſcerent, ſorte delegerunt, qui migrarent inde cum uxoribus & liberis ac quærerent alias ſedes. Hinc tot emigrationes populorum ab Oceano extremo in hiſtoriis commemorantur.

Ve-

Verum Saxones Germanorum antiquiſſimos eſſe non ſolum ſitus loci, quem occupavere, & nomen ſed etiam lingua eorum, mores ac habitus corporum arguunt. Quod enim ad linguam attinet, eſt ea Germanica, ut ſimpliciſſima, ita & antiquiſſima. Quo quid enim ſimplicius, eo etiam antiquius. Nam quanto propius hæc à principio abeſt, tanto minus eſt aſpirata; ideoque olim latiſſimè patuit, ut docent reliquiæ, quæ paſſim in monumentis extant. Fallitur ergo & fallit Bodinus, quando ait Saxones ubique fere medias pro tenuibus, & aſpiratas pro mediis pronuntiare. Fallitur ille inquam in re ſibi parum comperta. Non enim Saxonibus, h.e. Germanis inferioribus, ſed Alemannis, id eſt ſuperioribus Germanis hoc familiare eſt. Nam hi dicunt **thür / pferdt / pfandt/** cum Saxones leniſſime dicant, **döer / peerdt/ pandt;** niſi forte Bodinus excuſandus ſit, quod Saxones ſuperiores deſignarit. Inferiores enim, qui & veteres, odio ſemper habuerunt quam maximè hanc aſpirationem. Ideoque non tulere ſibilos in Romanis tempore cladis Varianæ. Unus namque ex illis linguam cauſidici Romani exciſam manu tenens in hæc verba erupit: *Deſine tandem ſibilare vipera*! Erant ſcilicet cauſidici inviſi Cheruſcis illis, qui pars erant Saxonum, propter genus injuſtitiæ, quo illos ſub ſpecie juris circumveniebant & pecuniâ emungebant. Quare ut populus hic Teutonum ſive Saxonum ceu inundatio quædam naturales ſuos limites egreſſus in totum terrarum orbem ſeſe diffûdit; ita lingua antiqua Saxonica, veluti.

luti matrix, alia omnia Germanica idiomata produxit, admixtis Germanicæ linguæ extraneis; imo totius Aquilonis vernaculæ ſcriptores hanc parentem agnoſcunt. Præter enim Flandrorum, Brabantinorum, Mattiacorum, Morinorum, Sicambrorum, Batavorum, ac Friſiorum linguam, etiam Anglorum, Danorum, Norvegorum, Gothorum, Suecorum aliorumque voces & verba ex hoc fonte rivuli ſunt: quod facile probari poſſet, ſi id ferret inſtitutum noſtrum.

Quanto autem vetuſtior ſit hęc lingua Saxonica cæteris Germaniæ dialectis, cum multa alia, quæ poſſent afferri, probant; tum vel maxime, quod urbs quæ in tota Germania antiquiſſima memoratur Saxonico nomine vocetur Staden; unde Germanis poſtea appellatio urbiũ ſive oppidorum remanſit, ut dicantur illis Städen. Et ſi priſca monumenta replicemus, quę ab omni antiquitate extant ſcripta Germanicè circiter millenis retrò annis, inveniemus nullam vulgatiorem eâ linguâ, quæ Saxonica dicitur, & priſtinam potius illorum hominum ſimplicitatem quam ullum ornatum eã reſipere deprehendemus. Quæ res vel præcipuè argumento eſt quod hæc ſola nativæ & ingenitæ conſonantię ſinceritatem ſervet, omnibus verbis puro ſono prolatis ſine multa aſpiratione. Quippe nil ſtridoribus invertit, aut diphthongis contorquet, ſi ad lucem veritatis res inſpiciatur, ut in Francorum, Suevorum, Bojoarorum, Auſtriacorum & aliorum aſpirationibus apparet, vel ex commercio cum vicinis populis

pulis vel quod illis Barbari mixti;in quibus Hunnorum, Avarum, aliorumque Barbarorum, qui provinciis illis diu incubuere, impetuoſos Spiritus nobis audire videmur.

De moribus eorum, & ſtaturis ſive habitibus corporum illorum, plenæ ſunt veteres hiſtoriæ. Servant adhuc eosdem mores ſimplices & candidos quos ſcriptores de illis jam ab antiquo produnt; unde etiam manet hodieque ille ritus porrigendi dextras, complectendi ulnis & applicandi pectus pectori; ſed & retinent cæſios oculos, flavos capillos, corpora procera quæ antiquitus illis tribuuntur. Num ergo aliquis adhuc dubitat, quin Saxones, de quibus agimus ſint Germanorum in patria hac antiquiſſimi & ipſiſſima medulla? certe, ſi quis hic clauſis oculis veritatem videre nolit, ille aut minus amantem ſe illius oſtendet, aut rancorem animi ſui & invidiam erga hanc gentem inſigniter prodet.

Sed nos ab antiquitate gentis transimus ad res illorum geſtas. Res autem geſtas cum dico, non ſolum intelligo quæ ab ipſis in patria & pro eandem facta, ſed etiam extra patriam quæ geſſerunt, & imprimis quod colonias verſus omnes mundi plagas duxerunt. Saxones enim fuerunt, qui cum abundarent hominibus, ex ſua regione emiſerunt, qui profecti per Pannonias in Græciam & inde trajecerunt in Aſiam: qui invaſerunt Italiam, & occupaverunt Romam. Etſi enim Galli à ſcriptoribus Romanis quibus ulteriores nationes tum adhuc ignotæ erant, dicantur, Ger-

C mani

mani tamen fuere ut paulo ante probatum eſt, & quidem Germani Saxones; quoniam ab ultimo oceano occidentali venerunt, & reliqua, quæ non niſi Saxonibus competunt, habuerunt. Sed & paulo poſt illi Germani ceperunt diſtingui à Gallis, qui ſub nomine Teutonum & Cimbrorum Italiam ingreſſi ſunt tempore Marii. De his enim Paterculus & Tacitus clariſſimè dicunt. Paterculus ita: *tum Cimbri & Teutoni tranſcendere Rhenum, multis mox noſtris ſuiſque cladibus nobiles.* Item: *Effuſa, ut prædiximus, immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, cum Cæpionem Manliumq; conſulem & ante Carbonem, Silanumq; fudiſſent, fugaſſentq; in Galliis, & exuiſſent exercitu, Scaurumque Aurelium Conſulem & alios celeberrimi nominis viros trucidaſſent, populus Romanus non alium repellendis tantis hoſtibus magis idoneum Imperatorem, quam Marium eſt ratus.* Tacitus vero eadem de Cimbris memorat, ubi ſic ſcribit: *Eundem Germaniæ ſinum* (ſcilicet Cimbricam Cherſoneſum) *proximi Oceano Cimbri tenent; parva nunc civitas, ſed gloria ingens, veteriſque famæ latè veſtigia manent utraque ripa, caſtra, ac ſpacia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manuſque gentis, & tam magni exercitus fidem. Sexenteſimum & quadrageſimum annum urbs noſtra agebat, cum primum Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello, ac Papirio Carbone Coſſ. Ex quo ſi ad alterum Imperatoris Trajani conſulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur; tamdiu Germania vincitur. Medio tam lon-*

gi ævi

gi ævi ſpacio multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hiſpaniæ Galliæve; ne Parthi quidem ſæpius admonuere. Quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quam cædem Craſſi amiſſo & ipſe Pacoro, infra Ventidium dejectus oriens objecerit? At Germani Carbone & Caſſio & Scauro Aurelio & Servilio Cæpione, M. quoque Manlio fuſis vel captis, quinq; ſimul conſulares exercitus populo Romano Varum treſque cum eo legiones (hoc eſt ultra 20. hominum millia) *etiam Cæſari* (Scil. Auguſto) *abſtulerunt: Nec impunè C. Marius in Italia, Divus Julius in Gallia, Druſus ac Nero & Germanicus in ſuis eos ſedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæſaris* (puta vel Tiberii vel Caligulæ) *minæ in ludibrium verſæ. Inde ocium donec occaſione diſcordiæ noſtræ & civilium armorum, expugnatis legionum hybernis, etiam Gallias affectavere: ac rurſus pulſi inde proximis temporibus triumphati magis, quam victi ſunt.* Hactenus Tacitus. Quibus adjiciendum illud de militibus, quos Julius Cæſar ex Germanis ſibi notis, & quibus cum illi negotium fuit, h. e. ex Saxonibus legit, atq; in exercitu ſuo, teſte Appiano, habuit, non ſolum in poſtremis bellis Gallicis, ſed & in bello civili contra Pompejum, qui illic fortitudinem ſuam toti mundo probarunt; quia cum hi pedites oppoſiti eſſent equitibus Pompejanis, tales ſe geſſerunt, ac ſi ipſi in equis veniſſent, & contra equites Pompeji, ut loquitur Florus, fuiſſent pedites. Ideoque maximum momentum ad victoriam Cæſari in Campis Pharſalicis attulêre. Et quo loco

56

Romani hoſce Germanos habuerint, ſi non aliunde appareret, certè ex eo ſatis evidens fieret, quod Cato cenſuit C. J. Cæſarem dedendum eſſe hoſtibus ſc. Germanis, propterea quod temerè & inconſulto Senatu, contra eos bellum moviſſet: quæ res indicio eſt Romanos ſemper ad Germanorum nomen & adventum trepidaſſe, neq; libenter eos, tanquam viros fortes, irritaſſe; ſed contra, ſi qui eos irritarent, hos puniendos ſtatuiſſe. Ex quo jam ab antiquo, innotuit illud dicterium: *Incipienti adverſum Germanos bellum, omnia mala parata eſſe*: Sed qui ſunt illi Germani, de quibus hi ſcriptores, loquuntur? Certe non alii quam qui olim Teutones, Cimbri, Cauchi, Cheruſci & poſtea Saxones vocati ſunt, ſicut & hodie tales appellantur; quia hæc ora quæ hodie indigitatur Saxonia, tempore Cæſaris, ut facile ex eodem probatur, potiſſimum dicta eſt Germania.

Lubens prætereo alia eorum fortia facta ac bella adverſum Danos, Thuringos, aliasque nationes quam plurimas, Principes, Reges, Imperatores; quę quidem vario eventu geſta narrantur pro affectu eorum, qui iſta literis tradiderunt: quod ſi eadem præditus dicendi facultate Saxonicas res vir genere Saxo commemoraſſet haud dubie aliam rerum fortunam narrando prætenderet. Studet enim quisque hiſtoricus ſuæ nationi illuſtrandę, ut graviſſime dicit Albertus Crantzius Saxonum ſcriptor diſertiſſimus.

Saltem ſpectate mihi quæſo unum illum Heroa Hermannum, quem Romani Arminium vocant, Che-

Cheruſcorum ducem, qui Varum cum legionibus delevit; de quo, cum aliàs plura dicenda ſunt, præſtat hic in totum abſtinere, quam parte jam defungi. Cogitate etiam unum illud bellum, quod totis 30. annis à Saxonibus duce Witechindo geſtum eſt contra Imperium Romano-Germanicum ſub Carolo Magno; quod ſatis eorum virtutem arguit. Unde etiam Chronicon Mersburgenſe teſtatur illis titulum libertatis, à Carolo Magno propterea tributum eſſe, ut dicti fuerint, LIBERI Saxones.

Veſtigia hujus veteris fortitudinis manent hodieque in hac gente: quia etiam nunc inter Saxones optimi milites leguntur, ex juventute urbana pariter & ruſtica. Verum non modo bellicam fortitudinem, hiſce Germanis, id eſt Saxonibus, Julius Cæſar tribuit, ſed etiam prudentiam, juſtitiam, modeſtiam, ac mores domeſticos plenos continentiæ, moderationis, cæterarumque virtutum laudibus egregiis.

Alii tradunt eos mediatores & moderatores bellorum ac pacis propter hanc ipſam fortitudinis, ſapientiæ, ac juſtitiæ de ipſis opinionem, ſæpe ab aliis adhibitos fuiſſe. Sed inter alia haud poſtremum potentiæ, ſapientiæ ac fortitudinis ipſorum argumentum eſt, quod ex ſeſe colonias miſerint, verſus omnes mundi partes, verſus ortum & occaſum, meridiem & ſeptentrionem, non ſolum in Germaniam ſed & Sarmatiam ſc. Ruſſiam, Pannoniam, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Angliam, Daniam, Norvegiam, Sueciam; imo in Aſiam, & Africam. Quemadmodum enim alii Ger-

 mani

mani ex variis populis collecti ceu coloniæ migrantes ex Germania in Galliam, ſeſe reſpectu aliorum vocavêre Francos, hoc eſt Liberos, quia nullius regni aut imperii erant ſubditi: Ita quoque hi populi remanentes in Germania & veteribus ſedibus, ſe appellavêre Saſſones hoc eſt Indigenas: quod nomen imitantes Græci & Romani ac alii dixerunt Saxones, qui ſorte delegerunt quos mitterent in alias terras. Regio enim hæc fæcunda admodum & magis virifera, quam vitifera, ut loquitur Wernerus Rolefinckius, vetus ſcriptor Saxonicus. Ex his namq; fuêre, qui Gallo-Græci dicti in Aſia, Galli Senones in Italia, Vandali ſive Wandali in Africa, Gothi in Hiſpania; ex his propagati verſus ortum ſolſtitialem Boruſſi & Livones, ac imprimis urbes Riga & Revalia, Leopolis ſive Leoburga in Ruſſia. Saxones enim hi ſunt lingua, moribus ac fide: verſus ortum Brumalem Helvetii Gens Martia, ac fida, id quod vox ipſa ſonat. Helvetii enim quaſi **Heel** Viti id eſt Toti Viti ſeu Vitæ. Sic n. dicti fuere Saxones in Cimbrica Cherſoneſo, quæ prius dicta Gothia, mox Vitia, ac tandem nunc Jutia. Hinc Gothi, Gutæ, Gutones, Viti, Vitæ, Jutæ, prorſus iidem ſunt. Idem arguunt Tranſylvani qui in Dacia mediterranea, à ſeptem caſtris dicũtur Septem-caſtrenſes **De Seven-bürger** ultra omnes Germanos, verſus ortum æquinoctialem remoti. Utuntur enim idiomate maximam partem Saxonico & putantur orti ab Hameloenſibus, ſicuti etiam nomina civitatum & arcium pleraque hujus ſunt originis. Similiter ad meridiem Longobar-

di in

di in Italia ex Saxonibus orti ad Albim, ubi olim civitas magni nominis Bardovicus, nunc tantum pagus aut villa, quondam ſedes Bardorum hoc eſt Poetarum & Sacerdotum apud Saxones: Quamvis alii à genere teli, quo uſi ſunt, eos ſic dictos velint, quidam etiam à longis barbis, quod mihi non probatur. Non narrabo hic quod Saxones adjutores Francis fuere in expeditione illa nobili, qua mixti iisdem ex media Germania in medium fermè Galliæ migrarunt: Saltem hoc dicam quod Vandali & Gothi prima origine Teutones ſive Cimbri ex Vandalia & Gothia verſus occidentem hybernum profecti in Africam & Hiſpaniam. Ex quibus Hiſpani ſeſe magnam partem eſſe fatentur. Certè nobiliſſimas illorum familias recitare poſſem ex hisce oriundas, quod & nomina arguunt, niſi compendio ſtudendum eſſet. Ipſi tanti hos ſuos majores faciunt, ut inde nobiles ſuos denominent *Hiodalgóh*, quaſi dicas filios de Gothis, ex quibus originem quoad genus maternum ſe trahere Carolus Quintus Germanorum Imperator laudatisſimus gloriari ſolitus eſt. Ad occaſum item æquinoctialem à Saxonibus propagati Angli in Britannia qui inde dicti ſunt Anglo-Saxones.

Nam hi prius ſedem ſuam habuerunt in Cimbrica Cherſoneſo ad littus orientale, & à Britannis in auxilium vocati propter opinionem fortitudinis adverſum Pictos & Scotos regnum Anglorum ibidem condiderunt, quod olim Anglo-Saxonum dictum eſt.

Quid commemorem Belgii populos, qui loco quidem Galli cenſentur, ſed origine Saxones, teſte Lipſio.

Lipſio. Unde etiam vocantur inferiores Germani, quod inde orti: in univerſum omnes Belgæ, dicti à **Belgen** quaſi **Velgen** ſive **Welgen**: hoc autem idem eſſe cum **Wälen** ſive **Walen** aut **Wällen** mutato nonnihil eorum nomine à Latinis ſcriptoribus, qui literam W duplicem ignorarunt & pro ea fere B aut G ſubſtituerunt, putat Hubertus Thomæ Leodienſis magni nominis hiſtoricus. Quia & hi ipſi fuerunt Wandali, à Saxonibus emigrantes. Flandrenſes enim & Brabantini mixtum ex Saxonibus ſanguinem ducunt circa tempora Caroli Magni eo propagati. Certè de Flandris qui nunc ſunt, conſtat eos ex Gambriviis eo traductos à Carolo M. Gambrivii autem illi fuerunt Saxones Noortalbingi eo loco, ubi nunc Gammopolis ſive Hammopolis. Similiter probant hiſtorici de Morinis ſive Selandis, & in ſpecie de Batavis probat Crantzius ex Tacito eos eſſe genus Cattorum; hos autem eſſe Saxones partem Weſtphalorum. Idem fatetur Lipſius ſummus hiſtoricus: & Schonerus Mathematicus Cattos eſſe Saxones veriſimillimè aſſerit. Adhæc Sicambros ſive Geldrenſes & Trans Iſulanos conſtat Saxonum propaginem eſſe. Sicambri enim quaſi **Sigcimbri** h.e. Cimbri victores vel **Sutt** Cimbri id eſt Cimbri auſtrales dicti videntur. Cimbri autem quaſi **Campers** hoc eſt pugnatores & bellatores. Unde nomen oppido **Campen** ab ipſis impreſſum adhuc reliquũ eſt. Certè ut omnia alia teſtimonia deſint ſola lingua Flandrorum, Brabantinorum, Morinorum ſive Selandorum, Batavorum, Sicambrorum & Friſiorum arguit,

eos

eos à Saxonibus ortos; quia hodierna eorum lingua eſt rivulus ex illo fonte, nempe lingua Saxonica, quod lubens fatetur Lipſius, & res ipſa etiam loquitur. Quod ſi verum eſt, ut eſt veriſſimum, quis audebit Saxonibus mores minus comptos objicere, cum tales ab iis propagati, qui absque contradictione omnium judicio hodie ſunt politiſſimi. Qui enim negari ipſis hæc posſunt, quæ conſpicimus in illorum coloniis? *Quod quis non habet, non poteſt in alterum transferre, vulgari perhibetur veriverbio. Qualis namque mater, talis & filia*, ac contra. Non igitur defectu ſcientiæ tales ſunt, quales perhibentur h.e. moderati in omnibus, & modico contenti, ſed certo judicio ac virtutis hujus amore. Imprimis autem hic tenendum Friſios hodiernos eſſe origine Saxones, quod præter linguam communem arguit habitus ſive ſtatura corporum, mores, aliaque quam plurima monumenta atque inſtrumenta publica. Friſii veteres maximam partem conſumti bellis, peſte, diluviis. Pauci enim ſunt in Friſia occidentali, qui vetus idioma ſervant; pauciores in orientali; nulli in media: qui autem hodie ſunt, à Saxonibus ſunt, ſive littoralibus Oeſtphalis ſive mediterraneis Weſtphalis, qui ſeſe infuderunt in Friſiam.

Scribit enim de hiſce Friſiis Æneas Sylvius, quod fuerint continentes & quod graviſſimè vindicaverint impudicitiam fæminarum, magisq; adulteria: quod alii hiſtorici, & Bonifacius ille Germanorum Apoſtolus, qui dicitur, & Epiſcopus Moguntinus de

Saxonibus transmarinis , ut hoſce vocat reſpectu Anglorum Saxonum , ex quibus ille erat ortus , teſtantur. Similiter teſtantur hiſtoriæ de Saxonibus, quod quotannis comitia egerint , & unum præfecerint toti nationi , penes quem eſſet poteſtas gerendi bellum , & aliàs ſumma rei. Idem etiam de Friſiis notum eſt , quod ad exemplum illorum majorum ſuorum,quotannis convenerint in Friſia,nunc orientali dcta,pro pe Auricam ad locũ qui vocatus eſt **Opſtalles boom** / ibiq̃ue Poteſtatem (ſic vocabant ſummum magiſtratum) elegerint. Præſertim vero meos Friſios Orientales eſſe non ſolum origine Saxones, & ſi loco nunc Friſii ſint & dicantur; ſed etiam partem ipſorum Saxonum , nulli , cui quidem hiſtoria nota eſt,poteſt eſſe dubium. Ideoq; etiam hodie adhuc pertinent ad Imperium , & deſcribuntur in circulo inferioris Saxoniæ ſive Weſtphaliæ. Fatetur enim hiſtoricus Friſiæ clariſſimus Ubbo Emmius , Chaucos eſſe majores Friſiorum. At Chauci ſunt hodiè Saxones nomine pariter & loco.

Ergo Saxones Friſiorum ſaltem ſunt progenitores , ſi non ipſi Friſii ſunt Saxones : ob quam cauſam Friſii-Saxones vocantur ; quia Bructeri & Chamavi ac Angrivarii Saxones in Weſtphalia , aut ſaltem pars eorum , eo loco fuerunt , ubi eſt initium Amaſis fluvii. Sed ille ſe exonerat in mare inter Chaucos,ſc. minores & Friſios. Ergo Amaſis terminus eſt inter Chaucos & Friſios. Quare Chauci non ſunt ipſi Friſii,aut ſaltem quidam eorum, qui nunc Friſii Orienta-

les

les dicuntur, trans Amaſim, ſunt Saxones origine, & non Friſii.

Tacitus enim & Ptolemæus Amaſim limitem tradunt, quo Friſii à Chaucis diſtinguuntur. Sic enim Tacitus. *Hactenus in occidentem Germaniam novimus. In ſeptentrionem in genti flexu redit: ac primo ſtatim Chaucorum gens quamquã incipiat à Friſiis* &c. Ptolemæus vero Germaniam ad oceanum ita deſcribit. *Inter Rhenum & Amiſiam habitant Buſacteri & Phryſii: Inter Amiſiam & Viſurgim Chauci minores: inde ad Albim fluvium Chauci majores: in ipſo jugo ſeu dorſo Cimbricæ Cherſoneſi Saxones: ipſam Cherroneſum Sigulones, aliique; & omnium maximè ſeptentrionales Cimbri.* Ac Ptolemæus quidem, ut hinc apparet, eo fluvio ſcil. Amiſia Friſios à Chaucis minoribus, ſicuti hos à Chaucis majoribus Viſurgi, disjungi docet. Saxonum enim natio antiquum ſuum nomen retinens hodie plures complectitur populos, quorum termini deſcribuntur à Carolo Stephano, Ænea Sylvio, Münſtero, Crantzio & aliis. Vetuſtiſſimæ namque Saxoniæ fines Albis ad auſtrum verſus, non Viſurgis, nedum Amaſis terminabat; & ſi poſtea utraque regio, cis & ultra Viſurgim ad Amaſim usq;, dicta Saxonia à Viſtula fluvio per totam oram maritimam ſive littoralem usq; ad Amaſim imo ultra Amaſim ad Flevum, adeoq; Rhenum, Schaldim & ulterius, usque ad fluvium Aham terminum Galliæ & Germaniæ. Nam populi alii vicini Myſeni, Catti, Chauci, Chamavi venerunt in ſocietatem nominis Saxonum, & unum populum conſtituerunt. Adhæc

 Fran-

Francis, Alemannis, Suevis aliisque loco habitationis relicto, inſtarq; Saxonum priorum eruptionem in imperium Romanum molientibus, & Romanorum provincias opprimentibus, armisque paulatim alios populos ſubjugantibus, etſi ſæpius repulſi fuerunt, tandem tamen obtinentibus has provincias, Saxones etiam poſteriores, ne degeneres eſſent à majoribus ſuis, non contenti illis maritimis ſedibus, incurſionibusque piraticis & navalibus deprædationibus infeſtaſſe mari cives imperii Romani, qui ipſis moleſti erant; ſed & paulatim ex littoralibus in interiora ſe recipientes aut alios pepulêre, aut vacuas regiones eorum, qui emigrarant & in Romanorum ditionem irruerant, occupavere. Antea enim in majoribus ſuis vel majorum ſuorum ſociis ſatis peregrinati erant, & vel à Romanis cæſi vel ab iisdem repulſi ex Italia, Gallia, aliisq; locis fuerunt. Ideoque ſatis illis nunc erat proxima loca occupaſſe. Hinc tam latè ſeſe in vicinia diffuderunt, ut patuerint à Viſtula fluvio termino Germaniæ & Sarmatiæ usque ad Aham fluvium terminum Germaniæ & Galliæ; imo quousque patet Belgium, quod ſitu Galliæ eſt, ſed populis poſterioribus Germaniæ: unde dicitur Germania inferior; imo ad ipſam Hiſpaniam, atquè adeo illius angulum ſeptentrionalem usque, ſive ipſos montes Pyrenæos, littorales pariter & mediterranei Saxones; quod arguit lingua communis in Belgio, parum à Saxonica diſcrepans, & non niſi dialecto ab eadem diverſa. Et quam latè patuerit Saxonia verſus occaſum docent nos abunde

Inſu-

Inſulæ Saxonum quæ ſparſæ in toto mari Germanico usque ad Hiſpaniam. Hinc tota illa ora dicta littus Saxonum ſive Saxonicum in libro notitiarum occidentis ſcil. Germaniæ inferioris (Nam de hac parte tantum quæritur: de littore Baltico non dubitatur) & Galliæ; quia Armoricanos, id eſt populos ad mare, Oſiſmios, Abrincates, Venetos & Nervicanos populos, nec non Rhotomagum, Flaviam, Conſtantiam, aliasque urbes in littore Saxonico ſitas nominat; Sed quæ ſunt illæ inſulæ Saxonum? Nempe quæ utrinque à Cimbrica Cherſoneſo partim in mari Baltico, usque in Ruſſiam patent, partim quæ in mari Germanico ad Angliam ſeu Hiſpaniam pertinent; quia Ptolemæus collocat Saxones utrinq; in littoralibus Cimbricæ Cherroneſi; ſed quoniam poſtea etiam progreſſi ſunt in littore, & ad mediterranea, ideo latius eorum regio patuit, & nomen, ac Inſulæ.

Ideo Saxonum Inſulę rectè olim dictę fuerunt oppoſitę littori Belgarum & Gallorum, (ut probat Ortelius peritiſſimus ille hiſtoricus & Geographus) quæ Ptolemęo ſunt in Oceano Germanico. Nam totum hunc oceanum à Cimbrica Cherroneſo, ad cornu extremum Heſperiæ ſive Hiſpaniæ, ubi hodie eſt caput Finis terræ in Hiſpania, vocat ille Germanicum. Quod verò hîc inſulę Saxonum Crantzio aliàs bono hiſtorico, & de Saxonum rebus bene merito, intelliguntur tantum objectę Albis fluvii oſtiis, quas vocant ſacras ſive regionem ſacram, id nimis jejunum eſt, & non ſatis reſpondet nominis celebritati.

Neque hîc Crantzius nobis ſatisfacere poteſt, cum aliæ multo plures juxta illud littus longè lateque ſparſæ dicantur inſulę Saxonum. Probat idem, quod ego nunc dixi, Johannes Antonius Maginus Italus celebris Mathematicus & hiſtoricus, cum de Saxonia agens ſic inquit: *Saxonia antiqua, validis & bellicoſiſſimis gentibus inſignis, longè olim lateque patebat, pluresque provincias complectebatur.* Et Ptolemæum de Saxonibus citans ait: *Saxones illuſtres populi, quos Ptolemæus non longe à Cimbris, in Oceani Septentrionalis littoribus & paludibus inviis conſtituit*, Stephanus autem de urbibus collocat eos in Cimbrica Cherroneſo. Interim non eſt controverſia inter Ptolemęum & Stephanum de eorum ſitu.

Ptolemęus enim loquitur de primis Saxonibus, & autoribus nominis illius, qui erant Teutones: at Stephanus de poſterioribus ſcil. quando jam Cimbri in Saxonum nomen conceſſerant & ab iis victi, ut ſupra probatum ex Danorum hiſtorico Sialandico, erant, cum iisdem coaluerant. Adde, quod Teutoni (qui Saxones) ut tradit Mela, tenuerunt Inſulam in ſinu Codano nomine Codanoniam; quæ arguunt eos fuiſſe potentes in mari, utrinque à Cimbrica Cherroneſo. Et quæſo notate nominis illius progreſſum verſus ortum & occaſum. Primum Teutoni ſe vocarunt Saxones, mox Cimbri ab iisdem ſubacti conceſſerunt in nomen victorum; inde Myſeni, Catti, Cauchi, Chamavi, Bructeri, aliique, quorum pars verſus ortum dicti ſunt Oeſtphali, pars verſus occaſum tandem

Weſt-

Weſtphali. Ut enim verſus meridiem Catti, ita ſeptentrionem & occaſum verſus Cauchi ſive Chauci, aut Cayci bonam Weſtphaliæ h. e. Saxoniæ inferioris ac veteris partem olim tenuerunt, & circa annum Chriſti ducenteſimum ſeptuageſimum ſub nomine Francorum ad Rhenum antiquas Sicambrorum & Tencterorum ſedes poſſederunt. Unde ad Mænum usque procedentes, tandem Rheno trajecto regnum in Gallia nobiliſſimum anno Chriſti 420 exorſi ſunt.

Hi igitur reſpectu reliquorum, qui emigrarunt, tales ſeſe dixerunt ſcil. Saxones. De Teutonis non eſt dubium: de Cimbris id tradit Stephanus & poſtea Saxo Grammaticus Danus, quod ſcil. illi dicti ſint Saxones, poſtquam ab iis victi ſunt. De Cauchis vero & aliis res ipſa loquitur, quod ſint Saxones quia lingua, habitus corporum & mores id arguunt.

Ita quoque de cæteris omnibus evidenter probari idem poſſet, ſi opus eſſet: Latiſſimè igitur ſeſe extendit illa natio, & vix ullus angulus eſt in tota Germania prope dixeram in tota Europa atq; adeo orbe terrarum qui hanc ignoret, ubi non veſtigium aliquod ejus gentis reperiatur. Quam latè n. patuerit conſtat ex veſtigiis.

Hinc propè Hamburgum nomen eorum impreſſum Sylvæ, quæ Saxonum dicitur Saſſenwoldt; in Holſatia reliquus eſt pagus nomine Saxtorff & agger Saſſiſchbandt. In media Weſtphalia invenitur mons ab illis indigetatus Saſſenberg & caſtrum Saſſenburg prope Hildeshemium urbs Saxſtede.

ſtede/ad Mænum fluvium, arx Saxenheim/quaſi patria Saxonum è regione urbis Francofurtenſis à Saxonibus condita. In Palatinatu triplex invenitur Saxonia ſive Saxonum habitatio: Magna, parva & alta Saxonia. In Hollandia pagus Saſſem Saſſemum quaſi Saſſenheim/ id eſt, Saxonum patria. Hîc in Friſia minori, ut tandem finem faciam enumerationis locorum ab ipſis celebratorum, Saxum pro Saxen/ Latinis dictum, & Saxenhuſen/ domus Saxonum, quod ibi ſedes quondam ſuas conſtituerint & habitarint. Unde adhuc reliqua ſunt nomina propria hominum, Saco, Saſſo & Saxo. Imo illa gens adeo fæcunda & induſtria, ut nullus fere locus ſit in toto orbe terrarum, ubi non inveniatur aliquis ſaltem de hac gente. Et non eſt dubium quin ſi Saxones ſcripſiſſent res à ſe geſtas, longe alia facies eſſet rerum Saxonicarum pro ipſis quam nunc eſt; ſed illi ut cæteri Germani, quemadmodum Tacitus & alii de ipſis tradunt, contenti fortia ſua facta & heroas carminibus celebraſſe, res geſtas, tempus & locum omnino neglexerunt.

Hodie adhuc latiſſimè patent diviſi in Saxones inferiores & ſuperiores, ita ut eorum regio terminata ab oriente Bohemia, Sileſia, Viſtula fluvio, à ſeptentrione oceano, à meridie Francia & Rheno, ab occidente vero fluvio Amaſi. Quæ cum ita ſeſe habeant ut tam longè propagarint ſuas illas colonias, tam latè ipſi patuerunt, & adhuc pateant, atque ubique fere veſtigia nominis ſui impreſſerint, quis eſt qui audeat gentem illam anguſtam atque obſcuram criminari?

nari? Profecto ipſa hunc impudentia impudentiſſima redarguet.

Verum ad alias eorum virtutes pergamus; imprimis Prudentiam, Juſtitiam, Temperantiam. De prudentia Saxonum peculiariter agit Tacitus, ſed ſub nomine Cattorum. Suſpicatur Crantzius in Plinio, Tacito, &c, qui illis duobus prior eſt, Strabone nomen hoc Saxonum vel extritum & aliud ſuppoſitum, vel ſaltem corruptum. Sic enim ille ait: *Et ut quandoq; per errorem transſcribentium, quandoque per ſtridorem externæ linguæ nominum fiunt infractiones, non eſt longe à veriſimilitudine, ſi quis contendat pro Saxi vocabulo, eſſe uſurpatum Catti. Multas enim ſimiles mutationes eſſe factas reminiſcimur.* Sed non eſt neceſſe nos eò ire, ut dicamus Scripturam eſſe permutatam, quia ut ſupra probavimus Catti ſunt pars Saxonum. Quod igitur Tacitus de parte dicit, de omnibus nō male intelligitur.

Quid ergo mirum hæc illis omnibus convenire? Et Hiſtoria de Arminio Cheruſcorum duce arguit non ingenium & prudentiam ipſi ac aliis Saxonibus defuiſſe, ſed tantum ingenii culturam, atque aſſuefactionem, & exercitium. Ea enim quæ Tacitus Cattis tribuit, hæc certe Saxonibus congruere, & de illa gente eſſe perſcripta, qui animum advertit, & ſine invidia judicat, protinus intelliget: Quia & regionis termini & gentis mores conſentiunt. Notat enim gentem extra Hercyniam Sylvam. Sic namque inquit: *Ultra hos* (ſcil. Hercynios) *ſunt Catti. Initium ſedis ab Hercynio ſaltu inchoant non ita effuſis &*

E pa-

paluſtribus locis, ut cæteræ civitates, in quas Germania pateſcit, durant: ſiquidem colles paulatim rareſcunt, & Cattos ſuos ſaltus Hercynius proſequitur ſimul atque deponit. Duriora genti corpora & ſtricti artus, minax vultus, & major animi vigor, multæ, ut inter Germanos, ſolertiæ & rationis, præponere electos, audire præpoſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare. Hæc certè talia ſunt quæ Saxonibus ab aliis attribuuntur. Sed examinemus ea paululum. Qui priores ante Tacitum ſcripſerunt, gentem illam quæ ab Hercyniis montibus in plana deſcendit & usque ad Rhenum propagatur, vocant Cattos; quo nomine non ſolum intelligunt Haſſos; ſed & Wetteravos, Naſſovios aliosque vicinos populos, ergo etiam pars Cattorum ſunt, qui poſtea dicti ſunt Saxones, ſive Catti ipſi ſunt Saxones, ut interpretatur Schonerus Mathematicus & hiſtoricus inſignis. Sed & quod diligenter hic obſervandum, Tacitus non dicit, quod omnes illi Catti ſint, ſed quod vicini Hercyniis. Nam alioquin non eſſent Cauchi, Chamavi, Cheruſci, aliiq;: Sed etiam Saxones Hercynii fuerunt, qui ad Sylvam Hercyniam incoluerunt. Ergo etiam ſub Hercyniis Cattis, Saxones Hercynii comprehenſi; multo vero magis ſub iis, qui ab Hercyniis deſcendunt, ut ſunt quidam Catti, Cauchi, Chamavi, Cheruſci & alii. Nam qui olim tales, hi poſtea migrarunt in nomen Saxonum, quia illi nunc ſunt Weſtphali. Ergo quod Tacitus Cattis tribuit de Saxonibus intel-

intelligi ac recte de illis prædicari poteſt, Et abſq; hoc teſtimonio Taciti eſſet; conſtaret tamen aliàs Saxonibus ſua laus prudentiæ. Jam enim ab antiquo opinione ſapientiæ celebres ſunt. Unde non ſolum ſapienter rē-publicam ſuam ordinarunt, concilia agentes quotannis more Græcorum, ſed etiam Duces ſapientiſſimos habuerunt, inter quos eminent Hermannus ſive, ut Romani vocant, Arminius Cheruſcorum dux, & ille Saxonum Princeps Witechindus, poſtremus in libero populo, antequam imperio Romano-Germanico à Carolo Magno poſt bellum, quod cum ipſis geſſit totis triginta annis cruentiſſimum, ſubjicerentur. Imo poſtea Imperatores ex hoc populo electi, Othones, Heinrici, Lutheri ſeu Lotharii, qui imperium ſapienter conſtituerunt, & legibus æquiſſimis firmarunt. Hæc eadem cauſa eſt quare etiam Dux Saxoniç tertius inter Electores Imperatoris ſeculares conſtitutus ſit, & vicarius imperii alter, ſede vacante.

Similiter prudentiam hujus populi arguit, quod ex illo fuerunt paſſim juxta littus, à Sarmatia usq; ad Scaldim ſeſe extendentes, qui fædus illud celeberrimum ſapientiſſimè conſtituerunt in nationis hujus civitatibus, quod Anſeaticum vel Hanſeaticum aut etiam Hanſaticum dicunt, ſive quia in urbibus maritimis erectum quaſi **an See ſteden** / id eſt, ad mare, vel quod in præcipuis urbibus, quæ ſunt quaſi Hanſes, hoc eſt, heroes & ſemideæ dictæ veteribus Saxonibus; ſeu, quod ego veritati proximum credo ab Hanſa, quod lingua veteri Saxonica ſignificat, concilium ſeu fædus

initum junctis dextris. Hujus ſocietatis favorem ſæpè reges ambiverunt, ac ſceptra ſua nonnunquam ei ſubmiſerunt, uti de Heinrico III Rege Angliæ eſt notum.

Huc etiam pertinet ad probandum Saxonum prudentiam, quod Goropius Becanus ſcribit Cimbros ſive Saxones eſſe inventores uſus magnetis, & compaſſi nautici, atq; adeo ventis nomina impoſuiſſe, quę etiamnum obtinent apud omnes nationes, quæ oceanum Germanicum attingunt, Suecos, Gothos, Norvegos, Danos, Anglos, Gallos, adeoque Hiſpanos ipſos.

De juſtitia illorum, quid dici poteſt niſi ſummum? Tacitus de Germanis in genere refert, eos juſtitiæ obſervantiſſimos fuiſſe, ideoque fidem datam nequaquam fallere, adeo ut ſi promiſerint aliquid, quod cum damno etiam ipſorum conjunctum eſſet, nunquam tamen retractare ſolitos; & ſymbolum hujus fidei datę eſſe dextram; qui mos jungendi dextras hodie maxime inter Saxones obtinet. Ex quo apparet præcipue hîc deſignari à Tacito Saxones. Eſt itaque Synecdoche uſitatiſſima, qua denominatio fit à potiore, & quod nobiliori parti competit, id toti alicui propter partem illam nobiliorem aſſignatur. Sed & hoc nomine Saxones maxime ridentur ab aliis; cum tamen veteribus Latinis hic mos quoque jungendi dextras receptus fuerit. Hinc nata apud eos eſt, hęc formula; *En dextra fideſque.* Unde de candore pectoris Germanorum teſtantur autores, quod etiam ad illos præcipue pertinet. Hinc Germanum dicitur can-

candidum & ſincerum: Germanis etenim mens conſona labris.

Imo usque adeo Saxones laude juſtitiæ & judiciorum æquitatis celebres, ut nonnullis inde dicti putentur Sachſen vel Sackſen à voce Germanica Sache Alemannis, vel Säcke Saxonibus uſitata, ſcil. cauſa in foro diſceptanda. Notæ item leges Saxonum juſtiſſimæ, præſertim illa, quæ in matrimoniis tuendis & libidinibus puniendis, ſeveritas culta. Eodem fato propemodum evenit, ut Romanæ leges à Lothario II Saxonici ſanguinis Imperatore, in lucem ex umbra ſcholaſtica reductæ ſint, & in ipſam curiam ac vitam hominum introductæ, quæ ſane fundamentum ſunt omnis juſtitiæ, ſi qua hodie in Imperio Germanico reliqua eſt.

Propter hanc ipſam opinionem de ipſorum fortitudine, prudentia, atq; juſtitia, & illarum virtutum laudem, ſæpè illi mediatores ac moderatores bellorum & pacis inter reſpublicas, Principes, ac Reges electi fuerunt. Continentiæ vero ac temperantiæ in hac natione argumentum haud vulgare eſt ſimplicitas illa victus & amictus, quam aliæ nationes ipſis exprobrant. Sed quæ illis non neceſſitate defectus Cereris & Bacchi aliorumque impoſita, ſed judicio gravi, conſtanti ac certo delecta & dilecta. Adhæc caſtitatem prædicat Tacitus in Germanis ac proinde etiam Saxonibus noſtris, quod ſcil. rara adulteria in tam numeroſa gente. Matrimonia enim imprimis tanquam nervos œconomicæ adminiſtrationis diligenter cuſto-

65

diverunt. Ac primum quidem ſerò ætate jam firmata mares fæminis juncti ſunt. Semel vero initum conjugii fædus ſanctè integreque ſervarunt; violantes vero illud ſeveritate ſumma coërcuerunt. Licuit enim marito deprehenſam in adulterio uxorem abſciſſo capillo inſpectantibus cognatis nudam per vicos urbis agere ac cædere. His verberibus ſi non ſuccubuit infamia vitam reliquam contrivit, nec alteri nubere ei conceſſum fuit.

De Saxonibus vero in ſpecie traditur, quod adulteria admiſſa graviſſimè puniverint. Extat Epiſtola Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini Germanorum Apoſtoli ſive Euangeliſtæ dicti ad Echobaldum Angliæ principem de hac re, (quia & ipſe Anglus fuit,) in qua narrat de ſeveritate in coërcendis matrimoniis à Saxonibus uſurpari ſolita, ſi qua virgo aut uxor vitiata ſit, ſcil. eam laqueo ſuffocatam & combuſtam fuiſſe; ſupra buſtum vero ſtupratorem eſſe ſuſpenſum, vel à caſtis mulieribus in omnibus oppidis compunctū eſſe donec exſpiraret.

Neque ibi multum opus erat legibus, ubi boni mores plus valebant, quam alibi bonæ leges, ſicut teſtatur de illis Tacitus. Adhæc incolæ hujus regionis olim quidem gentiles fuêre & idololatræ; ſed tamen more ſuo colentes Dei magis quam populi meridionales, ut tradit de Germanis in univerſum Tacitus.

Sed Saxones Deos ſuos imprimis coluêre & ſacerdotes.

Hinc in veneratione habuêre Bardos alios-
que

que Deorum interpretes. Et licet poſtea ob gravitatem & conſtantiam innatam veteres ritus ægrè depoſuerunt, (ſicuti veterem conſuetudinem curare difficile eſt,) & fidem Chriſti tarde ſuſceperunt; poſtea tamen eo tenacius hanc amplexi retinuerunt. Ac imprimis impletum eſt in hac natione quod prædictum erat à Noa de Japhet, ſeu potius, illi promiſſum, quod aliquando habitaturus eſſet ſcil. in poſteris ſuis in tentoriis *Sem*, hoc eſt, ut Theologi interpretantur, aggregandus ad veram Dei Eccleſiam, & loca occupaturus quæ ad Semum & illius poſteros pertinent. Nam & Saxones interſuerunt expeditioni illi in Palæſtinam ſive ſacræ militię, cujus dux fuit Godefredus Boulioneus. *S*ed præcipuè ſi vaticinium illud ſpiritualiter de illis accipiatur, complementum ſuum propriè ſortiri videbitur, quia, etſi ſerius quam alii populi accepêre doctrinam Euangelii multis partibus jam corruptam à Pontificibus Romanis & grege monachorum, utpote quæ jam à ſuo principio, quando erat pura virgo Eccleſia, multum degenerarat; Saxones tamen poſtea primi fuêre, qui aliis nationibus facem ad fidei reformationem prætulêre; Nam apud eos primum lux Orthodoxiæ de Juſtificatione hominis peccatoris coram Deo orta eſt: Atque ita Saxones olim dicti Teutones ſive Tuiſcones ab Aſcenes, vere fuere Aſcenes hoc eſt ſacri ignis cuſtodes, quod vox ſonat, quia veræ religionis ſunt cuſtodes.

Po-

Poſtremo non ſolum fuêre in hac natione, ut olim ita & nunc viri fortes, prudentes, juſti, temperantes ac religioſi, ſed etiam docti ut Bardi, Druydes, Evantes, Poëtæ, Philoſophi & Sacerdotes, Philologi, Juriſconſulti, Medici, Theologi atque Hiſtorici. Etſi enim uti Germani veteres omnes ita etiam Saxones majus ſtudium habebant præclara facere, quam eleganter dicere: diu tamen jam viri doctiſſimi ſunt inter eos. Quid dico viri, etiam fæminæ doctæ ibidem reperiuntur, ſicuti notum eſt de Sybilla Saxonica, & Roſwida virgine apud eos eruditionis laude celeberrimis.

Sed quid ego hæc de illis refero? Sane ſi virtutes Saxonum omnes ac ſingulas perſequi velim citius me vox & tempus deficient quam materia.

Quare vela orationis meæ contraham, & portum optatum, quem ante oculos poſitum video, oratione mea ingrediar, ubi unum de regionis hujus fertilitate addidero.

Quamvis enim natio ita continens olim & nunc etiam; ſolum tamen haud ſterile incolit. Ab initio quidem ut tradit Tacitus tota Germania ſylvis fuit obſita & paludibus fæda, atque ita etiam Saxonia, unde adhuc tot nomina ſylvarum & paludum pagis indita ſuperſunt: poſtea tamen paulatim inſigniter ea coli cæpit, ita ut multis partibus poſſit contendere cum fertiliſſimis regionibus; paſcua habens optima & fruges; patiens arborum fru-

frugiferarum , ferax omnium ; etiam feras & cicu-
ratas beſtias habens; felix proventu omnium rerum,
quibus ad vitam ſuſtentandam opus eſt; terra fluens
lacte , butyro , caſeo, melle; cerevifiam coquit o-
ptimam , quæ cum vinorum nonnullorum generi-
bus contendit ; portus habet aptiſſimos ad ſubve-
hendas merces omnis generis ex toto orbe terra-
rum. Sed parum refert qualis ſit regio , dummo-
do incolæ boni ſint ; Eſt autem hæc, ut antea di-
ctum, magis virifera quam vitifera, hoceſt, he-
roum patria potius, quam Sybariticarum menſarum
altrix.

Sed ne ſim juſto prolixior, ac veſtra patien-
tia , auditores humaniſſimi , diutius abuti videar,
orationem hanc meam de laudibus Saxonum clau-
do contendens , quod ut Europa inter mundi par-
tes excellit , & Germania inter provincias Euro-
pæ : ita Saxonia inter Germanicas : & ut Euro-
pæi antecellunt Aſcaticos, Africanos ac Americanos,
atque Germani Europæos , ita Saxones reliquos
Germanos.

Et ne mihi aliquis oggerat illud Caſſii Judi-
cis , quod extat apud Ciceronem: Cui uſui? Cui
bono ? quorſum tam multa ac magna de Saxoni-
bus? huic reſponſum velim ; horſum ſcil. finem o-
rationis meæ tendere , ut nomen & famam Saxo-
num contra malevolos , quantum in me , defende-
rem , ac ſicuti decet , vindicarem ; deinde ut in
virtutes majorum noſtrorum tanquam in ſpeculum

omnes intuentes caveamus, ne quid illis indignum admittamus, aut à virtutibus eorum degeneremus, ſed quantum valemus illorum veſtigia prementes imagines haſce in nobis excitemus, quo majores noſtros non ſolum adæquemus, ſed etiam, ſi fieri poſſit, vincamus: Quod faxit Deus ille Deorum, à quo cuncta bona ſupernè deſcendunt, tanquam à patre luminum; & ſine cujus numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium. Illi cum Filio & Spiritu Sancto, ſit laus, honos & gloria in ſecula ſeculorum.

DIXI.

Gene-

Generis antiquitate,& natalium ſplendo-
re nobiliſſimo juveni.

ENNONI ARNOLDO
à WEYHE.

DUm quæ clara dedit patriã,cunabula,laudas,
Et relegis gentis fila vetuſta tuæ,
Et ſeros populi faſtos ab origine pandis,
Qui ſita natalis dulcia tecta domus,
Dum Japeto arceſſis , magnoq; Tuiſcone gentem
In ſeptem , memoras eſſe ,Trione , ſatam,
Auctores generis Witekindo Saxonas acres,
Summaq; natalis fulcra dediſſe domus,
Atque tot imperiis reges, populusque potentes,
Saxonicis ortos tractibus eſſe doces
Quodq; gubernarit quondam Saxonicus orbem
Sanguis,& imperii ſceptra tremenda tulit,
In quibus Ottones terni viguere potentes ,
Queis n̄atura nihil celſius ante tulit,
Dicti delicium populi , & miracula mundi,
Queis palmam Eous,Heſperiusque dedit,
In-

Incluta queis latis dominans Alemannia campis
Imperii debet jura ſevera ſui ,
Quod tantum Auſonii ſanguis Germanicus orbis
Cæſareos faſces, & diadema gerat,
Ardua dum tantæ gentis cunabula pandis,
Ingenii præſtas digna labore tui,
Perge alacris , Spartam, quam nactus & orſus es , orna ,
Cecropiam generi Pallada junge tuo.
Non ſatis eſt ſeriem patrum memorare vetuſtam,
Inque ſuâ villas & ditione caſas,
Lucentemque auri ditemque recondere glebam,
Quam medio foſſor ex Acheronte tulit,
Non ſatis eſt herclè , niſi virtus Marte vel arte
Excolat antiquum ſanguen, & acre genus,
Nobilis eſt verè qui vel rutilantibus armis,
Conſilio patriam vel ſapiente juvet,
Quique ubi fatorum ſævique pericula Martis
Paſſim per ſacros incaluere lares,
Intrepidâ valeat flammas exſtinguere dextrâ,
Arte juvare ſuos , Marte juvare ſuos.

Hoc

Hæc tibi propoſitum, atque tuorum hæc ſumma laborum eſt
*W*EYHE, *tua quondam luxque decusque domus,*
Maxima quæ de te eſt magni exſpectatio patris
Dum nati alterius fata ſuprema gemit,
Et dolet ante diem exemptum florentibus annis
Solamen generis filaq; rupta ſui,
In te igitur ſpes eſt, & fratribus, una, duobus,
Ut ſitis veſtrę lux columenque domus,
Perge tuique, ſenis, canos ſolare verendos,
Sis ornamento pręſidioq; tuis.

JOHANNES FREITAGIUS M. Doct. & in Illuſtri Illuſtrium Groningæ & Omlandiæ Ordinum Academiâ profeſſor p.

Nobi-

Nobiliſſimo & Eruditiſſimo adoleſcenti

ENNONI ARNOLDO à WEYHE,

De laudibus

SAXONVM

Publicè peroranti gratulatur

Est illa menti rectioris indolis
Innata flamma, quę quietis neſcia
Se ſuscitat, movetque, donec, torpido
Vulgo relicto, nomen illuſtret ſuum:
Sed non eodem, quotquot illud incitat
Conamen, omnes perſequuntur tramite
Præceps honorum culmen ac perarduum,
Nec expeditam repperit quivis viam;
Seu curta res moretur illum, ſeu nimis
Fulvi benigna ſiſtat auri copia,
Plenisque euntem paſſibus retro ferat.
Natura multos, ſi negat claram domum,
Latere cogit abditos, nec ſurgere
Ad alta noſtri ſœculi mores, ſinunt.

Sin